

DE IIS QUAE HACTENVS IN ASTRONOMI.

CIS DEI DONNO, EX ANTLAVIMVS, QUAEQVAE POSTHAC EODEM  
FAVENTE, EXEQUENDA RESTANT.



**A**NNO Domini 1563. ante annos, nimirum 35. quo tempore con-  
iunctio illa magna superiorum Planetarum circa finem Cancrī & initium Leo-  
nis contigit, iuxta aetatis nostrae annum decimum sextum completum, Lipsiae li-  
teris humanioribus operam dabam, sustentante me isthic unā cum pædagogo,  
Patruo meo charissimo GEORGIO BRAHE, qui ante annos circiter 30.  
fatis concessit. Parens enim ipse meus honorandae memoriae OTTO BRAHE  
filios suos, quos quinque habuit, quorum ego sum primogenitus, literis latinis imbuti non admo-  
dum expetebat, cuius tamen ipsum postea poenituit. Educatat verò me ab ipsa infantia di-  
ctus Patruus, & deinceps liberaliter aluit quoad vixit, usque in aetatis meae annum decimum octa-  
vum, semperque filii loco habuit, atque in haerem adoptare constituerat. Erat enim ipsius coniu-  
gium sterile, in uxorem ducta Nobilissimā & prudentissimā Dominā INGERA OXONIA,  
maghi illius PETRI OXONII postea Regni Daniae Aulae Magistri, sorore, quae ante quin-  
quennium diem obiit, quaeque me et, dum vixit, instar filij, singulari amore complexa est. Haec postea  
per duodecim anos in Gynecaeo Reginae, tempore Regis FRIDERICI II. laudatissime memoriae,  
Aulae magistra fuit, succedente illi in eodem officio matre meae charissimā & honoratissimā BEATA  
BILLEA per octennium, quae etiamnum ex Dei gratia superstes est, agens annum aetatis 71.  
Factum itaque peculiari quadam sorte, ut ego à Patruo praenominato Parentibus ipsis inscijs in in-  
fantia abreptus, ab eo circa annum aetatis septimum scholae Latinae adhibitus sim, & iuxta decimum  
quartum postea annum, Lipsiam studiorum continuandorum gratia missus, ubi per triennium mo-  
ratus sum. Quae ob id paulo altius repeto, ut constat, quā occasione studijs liberalibus primum ap-  
plicatus, postea Astronomicis animum adiecerim, utque Parentum de me bene meritorum memo-  
riam gratè recolam. Cum verò iam antea ex libris in Daniā Patriā meā, praesertim Ephemeridi-  
bus (ut veniam eo quo constitui) Rudimentorum Astronomiae, cui naturali quadam inclinatione  
addictus erā, initia non nulla iecissem; cepi tunc Lipsiae, ut ut invito & reluctante Pedagogo, qui  
me Iurisprudentiae operam dara maluit, Parentum voluntatem praetendens, (quod & nihilomi-  
nus, quantum per aetatem licuit feci) ex libris clā coemptis Astronomiam magis magisque, secreto ta-  
men, ne Pædagogus subolferet, excolere; moxque successiuè Asterismis Coeli dignoscendis ad-  
suescere, quos omnes, quotquot in illo Horizonte commodè visebantur, ex Globo quodam par-  
vo, saltem instar pugni, quem mecum tacite vespertinis temporibus gestare solebam, intra mensis  
spatium, proprio matre & nullo praemonstrante didici, quemadmodum neque alias in Mathema-  
ticis praecceptorem habere contigit. Caeteroquin citius in ea & plus forte profecissem. Plane-  
tarum etiam motionibus mox attendebam. At quoniam ex commixtionibus eorum cum fixis stel-  
lis tum quoque per lineas hinc inde ductas animadvertēbam, vel ex parvulo isto Globo, loca eorum  
Coelestia non congruere, calculo sive Alphonfino sive, Coperniceo, licet huic magis quam illi ap-  
propinquarent; postea indies diligentius illorum apparentiis denotandis invigilavi, & subinde  
cum calculo Tabularum Prutenicarum (Nam & hunc mihi proprio studio familiarem tunc red-  
dideram) contuli, Ephemeridibus non confidens; siquidem Stadianas, quae tunc solae ex ijs Num-  
ris derivatae extabant, plurimis in locis indiligentes & mendosas comperissem. Sed cum Instru-  
menta nulla in promptu haberem, invidente mihi ea Pædagogo, circino quodam majusculo rem  
ab initio quantum fieri potuit, exequabar, applicatā videlicet iuncturā eius oculo, & utroque pe-  
de in Planetam observandum & stellam aliquam fixam vicinam directo, aut etiam sic capiēdo  
binorum Planetarum inter se distantias pro magnitudine Circuli, Gradus interdus interceptos  
Mechanicè rimabar. Licet autem haec observandi ratio non satis exacta foret; tamen hinc eo per-  
ductus sum, ut utriusque calculi errores intolerabiles manifestissime deprehenderim. Quod &  
coniunctio illa magna anni 1563. de qua ab initio dixi & ob id etiam potissimum ab eadem exor-  
sus sum, in motu Saturni & Iovis satis superque prodidit; siquidem ea Alphonfinos numeros in-  
tegro mense fefellerit, Copernici aliquot etiam diebus; licet pauculis. Nam eius restitutio in hisce  
duobus Planetis non usque adeo à coelesti norma digreditur, praesertim quoad Saturnum, quem nun-  
quam ultra dimidium Gradum, vel ad summum besse unius, Copernici in Coelo eludere calculum  
animadverti, Iupiter interdum aliquantò maiorem suggerit differentiam. Postea anno 1564. Ra-  
dium quendam Astronomicum è ligno mihi clancularie confieri feci, ex praescripto Gemmae  
Frisii, quem per puncta transversalia ab Homelio suo praecceptore hausta diligenter distribuebat  
Bartholomaeus Scultetus, qui tunc etiam Lipsiae degens, ob communia studia mihi familiaris erat.  
Hoc radio adepto, strenuè postea Siderum observationibus, quotiescunque serenitas grata concede-  
batur, operam dabam, & saepe integras noctes dormiente & ignorante Pedagogo, è fenestrâ tabu-  
lari